



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quis ordo sit seruandus cum de Trinitate agitur. C

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



ritus sanctus vnus sint substantiæ, & inseparabili  
 æqualitate vnus sint Deus: vt sit vnitas in essentia,  
 & pluralitas in personis: ideoque non sunt tres  
 Dii, sed vnus Deus, licet Pater filium genuerit, &  
 ideo filius non sit qui pater est: filiusque à patre sit  
 genitus, & ideo pater non sit qui filius est, & spi-  
 ritus sanctus nec pater sit nec filius, sed tantū Pa-  
 tris & Filii spiritus, vtrique cœqualis, & ad Tri-  
 nitatis pertinens vnitatem. Teneamus ergo Pa-  
 trem & Filium, & Spiritum sanctum, vnum esse  
 naturaliter Deum, vt ait Augustinus in libro de fi-  
 de ad Petrum, neque tamen ipsum patrem esse,  
 qui filius est, nec filium ipsum esse, qui Pater est:  
 nec Spiritum sanctum ipsum esse, qui pater est,  
 aut filius. Vna est enim Patris & Filii & Spiritus  
 sancti essentia, quam Græci *οὐσίαν* vocant: in qua  
 non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus san-  
 ctus: quamuis sit personaliter alius pater, alius fi-  
 lius, alius spiritus sanctus.

*dixi de pa-  
 tre & filio,  
 qui gignit,  
 & quem gi-  
 gnit vnum  
 est, dicendū  
 fuit, vnum  
 sunt, sicut i-  
 psa veritas  
 aperte lo-  
 quitur dicēs  
 Ego & pater  
 vnum su-  
 mus. De iōs.  
 disti. cap.  
 omnes.  
 Aug. ca. i.  
 libr. de fide  
 ad Pet. 10. 3.  
 Lib. 1. ca. 2.*

*Quis ordo sit seruandus cum de Trinitate agitur.* C

CÆTERVM vt primo li. de Trin. Aug. docet,  
 primo secundum authoritates sanctarū scriptu-  
 rarum, vtrum fides ita se habeat, demonstrandum  
 est. Deinde aduersus garrulos ratiocinatores, ela-  
 giores magis quā capaciores, rationibus Catholi-  
 cis, & similitudinibus congruis ad defensionem &  
 assertionem fidei vtendū est: vt eorum inquisiti-  
 onibus satisfaciētes, mansuetos plenius instrua-  
 m⁹, & illi si nequiverint inuenire quod quærunt,  
 de suis mētib⁹ potius, quam de ipsa veritate vel  
 denostrā assertionē conquerantur.

*Testimonia Sanctorum de Trinitate.* D

PROPONAMVS ergo in mediū veteris ac  
 noui Testamēti authoritates, quib⁹ diuinę vnita-  
 tis atque Trinitatis veritas demonstratur: ac primū  
 ipsa legis exordia occurrāt, vbi Moyses ait, Audi  
 Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Item,

*Testimo-  
 nia, quibus  
 mysterium  
 Trinitatis  
 declaratur.*

Ego